

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clariss. uiro, D. N. N. amico & fratri suo charissimo, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

solatione uos quoq; sustentate, et bellum Deo com-
mendate, qui etiam dabit exitum aliquem, & ser-
uabit Ecclesie seminaria. Post paucos dies, ipse u-
na cum filio ad uos ueniam. Pastorem Ecclesie ue-
strae indico Andream, qui est in Calicis: uir grauis,
& doctus, & prudens est. Ea q; de re scribam ad
eum. Bene ualete. Die 10 Martij, Anno 1547.

Clariss. uiro, D. N. N. amico & fratri
suo charissimo, S. D.

10. 5. 6. Martij II, 1547.

Τὸ μέλλον αἰεὶ τυφλὸν ἔστι: inquit Sophocles.
Quare quis sit exitus tam horrendi belli futurus,
pronunciare non possumus. Sed tamē quisquis erit
exitus, *ἡ ἀπομείνω ἕνικον* (ut ueteres dicebant) fore
certum est. Prestemus igitur animos ad ferendas
eas misérias, quae bella ciuilia comitantur. Imò &
Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Chri-
sti oremus, ut poenas mitiget. Marchio Elector
hinc heri profectus est, ut de pace agat: sed ipse
quidem sperabat N. ad pacem flecti posse, qui con-
fidit N. & N. auxilijs. Et in Electoris castris pro-
ditiones metuuntur. Cum igitur crescant pericu-
la, sit inuocatio Dei ardentior. Teq; oro, ut uel quo-
tidie scribas, ea quae isthic audies digna memoratu.

Bauarus quem misimus ut publico ritu uocatio
eius ad ministeriū Euangelicū confirmaretur, nō-
dum redijt. Hessum gubernatorem Ecclesie Dei in
urba

urbe Vratislavia, ex hac mortali uita euocatū esse, certum est. Dolco & Ecclesie, & generi, & filie causa. Camerarius heri cum principe Georgio hinc abiit, secuturus suam familiam. At nos hinc alij sitientes ibimus Afros: Pars Scythiā, & fortassis Balthica litora adimus. Bene uale. Die 21 Ianuarij, 1547.

I, 128.
 Georgio Sabino, genero suo charissimo, S. D.

Magnam uim esse paterni amoris erga uos, etiam te animo tuo existimare non dubito. Quare mihi facile credes, affirmanti, ualde me dilexisse filiam Annam. Cum autem præclare de te sentirem propter scribendi facultatem eximiam, ut alij multi, qui iudicare de his studijs possunt, in quibus uersaris: & ex eo beneuolentia erga te singularis in animo meo nata esset, non inuitis tibi uolenti filiam despondi: usq; & tibi & uobis hæc coniunctio fausta & felix esset, optaui. Sed cum ex doctrina celesti causis didicerimus præcipuas humanarum calamitatum, & earum remedia: serimus iam, quæ acciderūt, sapiēter. Etsi igitur magno in dolore sum, propterea quod filia extincta est, & quidem procul sine parentum amplexu, & prius de rebus necessarijs cum ea colloqui non potuerim: tamen eas cōsolationes mihi propono, quæ diuinitus traditæ sunt.